

sta capitum modo recitatorum, prout ja-
cent. Explicatio verborum potest esse va-
ria. Unde Catechesis alia est Geneuensis, a-
lia Heydelbergensis, &c.

CAPVT IV.

De Symbolo Apostolico.

I.

Quid sit *Symbolum Apostolicum*? Est
compendium siue summa rerum ad
salutem credita necessariorum, inde ab A-
postolorum tempore in ecclesia receptum.

2. *An Symbolum Apostolicum sit tradi-
tio*? Sic appellatur ab Augustino. Sensus au-
tem hic est. *Symbolum Apostolicum non
est pars Scripturæ sacræ, sed traditio Scri-
pturæ consentanea.*

3. *An Symbolum Apostolicum ab ipsis-
met Apostolis in eum ordinem sit redactum?*
Ita quibusdam videtur: quod Cyprianus sit
author, Apostolos ab inuicem discessuros
constituisse tesseram prædicationis & con-
fessionis. Verum nihil certi potest definiiri.

4. *Quomodo Symbolum Apostolicum di-
uidatur?* Vetustissima est diuisio in XII ar-
ticulos. Quanquam alijs antiquior videtur
diuisio, qua diuiditur in tres partes, qua-

A 7 rum